Quelle: http://manuscripta.at/?ID=494
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Si vero dicendo hanc causam attendis, scilicet quia nulla subiecta essent eius prescientie, unde ipsa posset dici prescientia, ut ipse presciens, quod utrumque dicitur propter futura: verus est intellectus; sin autem ex ea ratione id dici quod non sit in eo scientia que presciat futura vel quod ipse non sit deus qui est futurorum presciens, falsa est intelligentia. Similiter et ille locutiones determinande sunt: potuit non esse prescientia dei, vel potuit non esse presciens, et potuit deus non prescire aliquid, id est potuit esse quod futura nulla subiecta essent eius scientie et ita non posset dici esse presciens vel prescire, vel eius scientia prescientia; non eo tamen ipse minus esset, vel eius scientia; sed non posset dici presciens vel prescire vel prescientia si eius scientie futura nulla forent subiecta. Similiter de dispositione et predestinatione vel providentia. Hec enim, ut dictum est, ad temporalia referuntur et de temporalibus tantum sunt.

Quod scientia dei non tantum est de temporalibus sed et de eternis.

Scientia vero vel sapientia non tantum de temporalibus sed etiam de eternis est. Ideoque si nulla fuissent futura, esset tamen in deo scientia eadem que modo est, nec minor esset quam modo, nec maior est quam esset. Scivit quidem deus ab eterno eternum et omne quod futurum erat, et scivit immutabiliter. Scit quoque non minus preterita vel futura quam presentia, et sua eterna sapientia et immutabili scit ipse omnia que sciuntur. Omnis enim ratio superne et terrene sapientie, ut ait Ambrosius, in eo est, qui omnem sapientiam et scientiam capit sua immensa scientia. *Quare omnia dicuntur esse in deo et quod factum est vita esse in eo.*

Propterea omnia dicuntur esse in deo et fuisse
Aug. ab eterno. Unde Augustinus super Genesim: Hec visibilia, inquit, antequam fierent non erant. Quomodo ergo deo nota erant que non erant? Et rursus quomodo ea faceret que sibi nota non erant? Non enim quicquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent et erant et non erant: erant in dei scientia, non erant in sua natura. Propterea autem deo non audeo dicere alio modo innotuisse cum ea fecisset quam illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Ecce hic habes quia hec visibilia antequam fierent in dei scientia erant. Ex hoc ergo sensu omnia dicuntur esse in deo, et omne quod factum est dicitur esse vita in ipso; non ideo quod creatura sit creator, vel quod ista temporalia essentialiter sint in deo, sed quia in eius scientia semper sunt que vita est.

Quod eadem ratione dicuntur omnia ei presentia.

Inde est etiam quod omnia dicuntur ei esse presentia, non solum ea que sunt, sed et ea que preterierunt et ea que futura sunt. Et illud: qui vocat ea que non sunt tamquam ea que sunt; quia, ut ait Ambrosius in l. d. t., ita cognoscit ea que non sunt ut ea que sunt. Et hac ratione omnia dicuntur esse in eo ut apud eum sint et ei presentia. Unde Augustinus super illum locum psalmi: Et pulchritudo agri mecum
est. Ideo, inquit, mecum est quia apud deum Aug.
nec preterit nec futurum est. Cum illo sunt omnia futura et ei non desunt iam preterita; cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabili sapientie dei. Ecce hic aperit Augustinus ex qua intelligentia accipienda sunt huiusmodi verba: omnia sunt deo presentia, in deo sunt omnia, vel cum deo, vel apud deum, vel in eo vita, quia ineffabilis omnium cognitio in eo est.

Utrum concedendum sit omnia esse in dei essentia vel in deo per essentiam ut omnia dicuntur esse in dei cognitione vel presentia.

Solet hic queri, cum omnia dicantur esse in dei cognitione seu presentia vel in deo per cognitionem, et eius cognitio vel presentia sit divina essentia, utrum concedendum sit omnia esse in divina essentia vel in deo per essentiam.
Ad quod dicimus quia dei cognitio et utique Respo.
essentia est, et eius presentia in qua sunt omnia ipsius cognitio est; non tamen omnia que sunt in eius presentia vel cognitione in ei